

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0138

Sabato 04.03.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DELL'ARCIDIOCESI DI GNIEZNO, POLONIA (12 MARZO 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DELL'ARCIDIOCESI DI GNIEZNO, POLONIA (12 MARZO 2000)

In data 20 gennaio 2000, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato, a Legato Pontificio alle celebrazioni del Millennio dell'Arcidiocesi di Gniezno (12 marzo 2000).

La Missione Pontificia che accompagnerà l'Em.mo Card. Angelo Sodano sarà così composta:

Rev. Mons. Henryk Nowacki, Consigliere di Nunziatura presso la Segreteria di Stato;

Rev. Mons. Timothy P. Broglio, Consigliere di Nunziatura presso la Segreteria di Stato;

Rev. Mons. Franco Coppola, Segretario della Nunziatura Apostolica a Varsavia;

Dott. Giampaolo Mattei, Redattore de "L'Osservatore Romano".

Pubblichiamo di seguito la Lettera di Giovanni Paolo II al Cardinale Legato:

Venerabili Fratri Nostro

ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO

Secretario Status

Magnum anni MM lubilaeum singulare momentum praebet Poloniae Christifidelibus et, peculiari quidem ratione, illis qui Gnesnensem constituunt ecclesiam communitatem quos sane singulari gaudio replet. Dum enim una cum toto Ecclesiae grege alterum celebrant millennium a Redemptoris ortu, millesimam recolunt anniversariam memoriam erectionis archidioecesis, nec non congressionis synodi Gnesnensis. In dilecta Poloniae terra metropolitana illa ecclesia clare eminet ob eximiam memoriam in historia christiana religionis atque stat

Polonorum nationis monumentum ob studiosam pastorum fideliumque navitatem qui firmam fidem et cum Evangelio artam iunctionem saeculorum per decursum sunt testati.

Quia vero, sicut accepimus, ad millennium memoratae archidioecesis commemorandum, sollemnes Gnesnae agentur ritus die XII proximi mensis Martii, Venerabilis Frater Henricus Iosephus Muszyński, Archiepiscopus Metropolita Gnesnensis, poposcit ut ad personam Nostram illic gerendam sacer Praesul constitueretur, qui Nomine Nostro praeesset celebritatibus tanto eventui convenientibus.

Ad Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui primus es cotidianae operositatis Nostrae adiutor, Nostram admovemus cogitationem Nostrumque animum, atque harum Litterarum vi Te designamus **Legatum Nostrum**, mandatis Tibi factis, ut memorato die sacris Gnesnae celebritatibus praesidis nomine Nostro utque, animi Nostris sensibus fidelibus illic humaniter renuntiatis, de Christi salvifica opera loquaris deque Eius admirabili sollicitudine erga cunctum Poloniae populum. Omnes hortaberis ut spiritalem vitam renoveant atque testimonium fidei, sancto Adalberto intercedente, usque reddant.

Dum per Te consalutamus Venerabilem Fratrem Henricum Iosephum Muszyński, quem diximus, omnes sacrorum Antistites, Honorabiles Viros Praesides Nationum illic adfuturos, universum clerum ac Poloniae dilectos Christifideles, vota facimus ut illi, redintegratis viribus, in opus novae evangelizationis diligenter incumbant.

Caritate Nostra Te prosequimur, Venerabilis Frater Noster, eiusmodi magni ponderis munus exsequentem, dum peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus Tibi iisque universis qui memorato die Gnesnae aderunt tecumque orabunt.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Februarii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

Ioannes Paulus II

[00523-07.05] [Testo originale:latino]

-
